



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius**

**Ginther, Anton**

**Augustæ Vindelicorum, 1733**

**VD18 12431648**

Consideratio XLIX. Cur Christus Dominus crucem bajulans, cruentam suam  
faciem in sudario S. Veronicæ impressam reliquerit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)



## CONSIDERATIO XLIX.

### Cur Christus Dominus crucem bajulans, cruentam suam faciem in sudario S. Veronicæ impressam reliquerit?

*Respice in faciem Christi tui. Psal. 83. 10.*

I.

**V**idit quondam Isaias Prophetarum Princeps non tam corporis, ait S. Augustinus, quàm & mentis oculis mirabilem ac planè magnificam apparitionem, de qua ipse sic loquitur: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum: Et ea, quæ sub ipso erant, replebant templum. Seraphim stabant super illud: sex ala uni, & sex ala alteri: duabus velabant faciem ejus, & duabus velabant pedes ejus, & duabus volabant: & clamabant alter ad alterum: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria ejus.*

Quæres hic, quare Seraphini illi faciem Domini & pedes ejus pennis suis extentis velaverint? R. Rupertus Abbas: Facies, ait, est divinitas Christi, pedes sunt ejus humanitas, passio & crux, quod altissimum verbi incarnati mysterium Ipsi etiam Seraphinis erat tunc inpenetrabile, nunc in tanta gloria videre univerforum Dominum, & paulo post in passione faciem ejus tam miserandum in modum cruentatam ac deformatam. Hinc S. Ephrem loquens de impio ministro, qui coram Caipha tam horrendam Christo alapam infixit: *Contremuerunt, inquit, cæli, fundamenta orbis concussa sunt, expaverunt Angeli omnes atque Archangeli, Gabriel & Michael facies suas alis contexerunt, Cherubim tremuntia sub rotis se abdiderunt. Seraphim illà horà alas ad invicem collisisse visa sunt, cum daret minister iniquitatis alapam Domino majestatis, quæ alapa adhuc hodie in facie & Sudario S. Veronicæ impressa cernitur. O quoties tu, ô peccator, tales cruentas infixisti alapas Christo JESU? toties videlicet, quoties voluntarium mortale peccatum commisisti: Et nondum times, ac cessas? Væ aliquando tibi. Sed pergamus ulterius & ad alia adhuc majora.*

Isa. 6. 1.

Rup. hic.

S. Ephrem.  
cit. à Cornel.  
hic in Isa.

2. Idem

2. Idem-Isaias Dominum gloriæ vidit inter duos principales Seraphinos & inter innumeros circumstantes Angelos, lætâ voce illud trisagium ipsi acclamantes: *Sanctus, sanctus, sanctus*. Ah quid ego video! *Isa. 6. 3.* non amplius Dominum gloriæ, sed abjectissimum virorum, non inter Seraphinos, sed inter latrones crucem suam ad Calvarium montem bajulantem; nihil hic auditur de illo trisagio, sed triste illud: *Tolle, tolle, crucifige eum*. Et ecce ubi venit ad domum Berenicis, vulgò S. Veronicæ, quæ devota Christi erat discipula, accurrit illa per turbas & carnifices, per enses & hastas, & detecto sibi capitis velamine Bombycino, illud offert pientissimo Salvatore, quo sanguinem, sputa & sordes in facie sua abstergeret, cui Dominus in sudario illo faciei suæ imaginem, ah quàm miserandum in modum cruentatam perfectè impressit, & in singulare amoris sui pignus illi, & Ecclesiæ suæ reliquit: O anime mi, *Respice in faciem Christi tui.* *Psal. 83. 10.*

Vidi quondam Romæ in Parasceve in Vaticano S. Petri Ap. hanc sacratissimam Christi crucem ad locum tormentorum bajulantis faciem, vidi, inquam, sed non sine sacro horrore ac lacrymis: Hæccinè, pensabam apud me, sit illa divina facies, in quam desiderant Angeli prospicere? O bone JESU! quantum mutatus à te ipso es, ut meritò de te dixerit Propheta memoratus & Evangelicus: *Non est ei species, neque decor; aspeximus eum, & non erat aspectus, & rursus: Aspectus hominis in eo non est*, ita enim divinam illam frontem, suavissimas illas genas, rutillantes illos oculos, purpurea illa labra, eloquentissimum illud os alapæ & colaphi, tunctiones & virgæ, livores & tumores, cruor & lacrymæ scedaverant, ut homo in homine esset quærendus, unde & Præses Romanus dixit: *Ecce homo*. O quantum doloris ac mœroris ex tam miserando aspectu hausit, ac percepit dolorosissima Virgo ac Mater Christi! dicat qui potest, ego non possum, nec valeo. *Isa. 53. 2.*

3. Moyses quondam instanter à DEO petiit: *Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam*. Sed pro responso tulit: *Videbis prosperiora mea, hoc est humanitatem Filii Dei, faciem autem meam videre non poteris*, id est: Essentiam divinam. Enimverò vidit Moyses faciem Domini in monte Thaboræo, ubi Christi facies resplenduit ut sol: *Et ecce apparuerunt illis Moyses & Elias cum eo loquentes.* *Exod. 33. 13.* *Matth. 17. 3.*

Sed à Thaboræo conferamus nos ad Calvarium montem. Superi! quid hic vides Moyses? Priùs loquebaris cum Christo de excessu passionis, quem completurus erat in Jerusalem, hoc est, quo genere mortis Christus esset moriturus. Et ecce jam advenit illud tempus; En repit pedibus ac manibus Salvator tuus nunc ad mortem crucis ob sceleram nostram condemnatus, ad dictum Calvaria montem, gravissimè

oneratus patibulo: *Respice in faciem Christi tui; & quid vides? Moyses obvelat faciem suam, & ob extasim admirationis loqui non potest.* Fernand. & Cornet hic. *Fernandus ait: Moysen vidisse Christum, flagellis casum, & spinis coronatum, qualem Pilatus populo exhibuit, dicens: Ecce homo: item eum vidisse cruci affixum, unde exclamavit: Misericors, clemens, multa miserationis &c.*

Fernand. &  
Cornet hic.  
Exod. 33. 23.

4. David, ubi in spiritu prævidit hunc univerforum Dominum ac orbis Redemptorem, ex considerata illius divinæ faciei pulchritudine fatiari non poterat, unde exclamavit: *Speciosus forma præ filiis hominum: diffusa est gratia in labiis tuis &c.* Audiamus hic verba B. Virginis: *Filius meus tanta pulchritudine præditus erat, ut quicumque eum inspiceret, consolaretur à dolore cordis, quem habebat. Ideò & multi Judæi dicebant ad invicem: Eamus ad videndum filium Mariæ, ut consolari possimus.*

Psal. 44 3.  
S. Birgitta lib.  
6. c. 1.

Eamus & nos ad Filium Mariæ, ut consolari possimus; Speciosus enim est formâ præ cunctis filiis hominum. 1. Ob divinitatem. 2. Ob animam. 3. Ob corpus, ait Bellarminus. Si respicis divinitatem, infinita pulchritudine præditus est: Si spiritualem animæ pulchritudinem, speciosus est præ omnibus Angelis ac hominibus: Si splendorem corporis ejus glorificati, pulchrior sole est, & pulchritudinem ejus sol & luna mirantur.

Isa. 53 2.

Verum enim verò consulamus hic paulisper Isaiam Prophetam Evangelicum, & quid dicit de Christi pulchritudine? *Non est species ei, neque decor: Et vidimus eum, & non erat aspectus: & desideravimus eum? despectum & novissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem; & quasi absconditus vultus ejus, & despectus, unde nec reputavimus eum.* O bonum Numen! hæc vaticinia non indigent explicatione, qui vultum dolorosissimi JESU in sudario S. Veronicæ impressum aliquando vidit; sed potius hic opus est pia meditatione, vivaci sensu ac piis lacrymis, quia tam horrendum in modum vulneratus est propter iniquitates nostras, & attritus propter scelera nostra, cujus tamen livore sanati sumus. O anima peccatrix, quid rependes huic pietissimo Redemptori tuo? Si nondum amas, vade ad infernum.

Faron, Lyra-  
us & alii.

5. Eminentissimus Cardinalis Cæsar Baronius refert ad annum Christi 34. n. 138. quòd libellus antiquissimus Romæ in Bibliotheca Vaticana manuscriptus afferretur, in quo sequentia leguntur: *Veronica Hierosolymitana matrona nobilitate & sanctimoniam insignis, Romam se contulit, ac sacrum sudarium secum deportavit, quo gravi morbo laborantem Tiberium Imperatorem sanasse fertur, qui tanti postea beneficii non immemor Christo divinos honores decrevisse dicitur, verum quòd inconsulto Senatu statuerat, postea rescissum fuit.*

6. Misit quondam Abagarus Rex Edessenorum, ubi de Christi miraculis nuntium accepit, pictorem suum, qui Salvatoris vultum vis exprimeret coloribus. Ardebat quidem pictor ille ingenti desiderio, ut inter concionandum Christi faciem adumbraret, sed divinus ille splendor, qui ex facie illius promicabat, laborem omnem irritum fecit. Dum ergo desperat labore pictor, Christus linteum poscit, faciei admovet, figuram imprimit, & pictori reddit, & ille Regi Edessenorum, per quam sacram divini vultus effigiem Edessa civitas sæpius ab incendio, & Roma simili modo per sudarium S. Veronicæ liberata est.

Mollon. c. 7.  
& 3. de S.  
Siad.

Si vis anime mi, ab æternis salvari incendiis, respice sæpius in faciem Christi tui, prout fecit in Hispania piissima quædam Virgo Jo-  
annâ nomine de nobilissima prosapia à Vasquez oriunda, quæ dum in hebdomade sacra coram devota S. Veronicæ icone, Sudarium Christi præferente oraret, advertit, quod dilectus animæ Sponsus, candidus & rubicundus subito sanguinolentam & afflictiſsimam faciem suam mutaret in venustissimam; ubi simul hæc verba à cœlesti Sponso audivit: *Tu in sponsam meam assumam.* Quibus auditis abiit lætabunda ad Parthenonem S. Mariæ à Cruce, & Sponso suo ad finem usque vitæ fideliter inserviit. Anime mi, respice nunc sæpius in faciem

Lyræus de  
Chr. pat. lib.  
5. cap. 3.

Christi tui, nunc quidem in emblemate, tunc autem  
à facie ad faciem.

